



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Concilium Parisiense III. Pro Variis Diversarvm Ecclesiarvm Vtilitatibvs  
Celebratvm, Circa annum Christi DLVII. Ioa[n]nis papae III. tempore, vt  
notas Binius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

tempora Pelagii primi referendam esse. Quo anno Pelagii præcise habita fuerit, nullo certo indicio constare potest. Vide Baron. ANNO CHRISTI 559. num. 16.

<sup>a</sup> *Sabaudus.*] Plures epistolas Pelagii ad hunc scriptas supra inserimus ex codice Arelatensi. In Concilio Matisconensi secundo, cui subscriptissime legitur, nominatur Sabaudius, qui hic Sabaudus, alibi Sapaudus appellatur. De aliorum subscriptorum plurium nominibus supra dixi plura in notis Conciliorum Aurelianensem & Arvernensis. Et quod ibi de ordine subscriptorum dictum est, idem hic sentiendum esse scias.

### CONCILIVM PARISIENSE <sup>b</sup> III.

PRO VARIIS DIVERSARVM ECCLESiarVM  
VTILITATIBVS CELEBRATVM, 'CIRCA  
annum Christi DLVII. \* Pelagii papæ III. Childeberti  
regis XLVI.

#### TITVL CI CANONVM.

- I. *Nemo res ecclesiarum peruidat, aut competit, aut retineat.*
- II. *Nemo res episcopi proprias peruidere, competere, aut confidere presumat.*
- III. *Ne episcopus alterius episcopi res competit, aut retineat.*
- IV. *De illicitis & incestis coniunctionibus.*
- V. *Ne quis sacras virgines, aut religionem professas rapiat, vel competit.*
- VI. *Nullus res alienas, nullus vi- duam vel filiam alterius competit, aut rapiat.*
- VII. *Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.*
- VIII. *De ordinatione episcoporum.*
- IX. *De famulatu & ministerio seruorum degenerum.*
- X. *Vt Canones hi ab episcopis absentibus, quibus oblati fuerint, subscribantur.*

#### P R A E F A T I O.

**A**D MONET pontifices temporum qualitas, & improbae necessitatis præcauenda conditio, vt non solum rerum præsentium, sed & futurorum quoque utilitas congrua prouisione tractetur: quatenus quos custodia ordinatio, ac pro amore diuino sollicitudinis cura constringit, & præuidisse sequentia, & opportune vigilasse probentur. Et quia sibi sacerdotes in hoc maxime consuunt, si importunorum voluntatibus obuiasse noscantur; coniuncti in vnum, Christo opitulante, Parisius pro v-

ANNO  
CHRISTI  
557.

\* Iohannes  
papa III  
tempore  
et anno  
Bonna.

PELAGIVS PARISENSE III. IUSTINIANVS IMP.  
P. I. CHILDEBERTVS REX FR. 535

ANNO CHRISTI  
535. tilitatibus ecclesiarum , vnde non leuiter rationem su-  
mus quandoque reddituri , in quantum diuina pietas vir-  
tutem dare dignata est, tentauimus salubri consideratione  
prospicere , ne dum periculosa abusione ordinatio super-  
na negligitur , in nobis aliorum crimina vindicentur.

## C A N O N E S .

### I.

<sup>2</sup> Itaque placuit , ac omnibus nobis conuenit obseruare , vt quia nonnulli memores sui per quilibet scripturas , <sup>3</sup> pro captu animi , de facultatibus suis ecclesiis aliquid contulisse probantur , quod a diuersis Deum minus timentibus eatenus mortifera calliditate tenetur , vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam ; nec intueri corde possint diem iudicii , dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore.  
<sup>4</sup> Quicumque ergo immemor interitus sui , res ecclesiæ , vt supra diximus , delegatas iniuste possidens , præsumpsit retinere , & veritate comperita , res Dei seruis eius dissimulauerit reformare , ab omnibus ecclesiis segregatus , a sancta communione habeatur extraneus : nec aliud mereatur habere remedium , nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgauerit . Indigne enim ad altare Domini properare permittitur , qui res ecclesiasticas & audet rapere , & iniuste possidere iniqua defensione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi sunt , qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse prouisio , vt vindictam admonitio manifesta præcedat , vt res usurpatas iniuste qui abstulit , adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit , & necessitas compulerit , postea prædonem sacerdotalis districtio matu-

Lib. 6. c.  
322.

rata percellat.<sup>5</sup> Neque quisquam per interregna res  
Dei defensare nitatur: quia Dei potentia cuncto-  
rum regnorum terminos singulari dominatione  
concludit. Quod si præsumpserit, & ipsius offen-  
sam, & prædictæ damnationis periculum sustinebit.  
Competitoribus etiam huiusmodi frenos distri-  
ctionis imponimus, qui facultates ecclesiæ, sub spe-  
cie largitatis regiæ, improba subreptione perua-  
rint. Sera namque de his rebus pœnitudine com-  
mouemur, cum iam anteactis temporibus contra  
huiusmodi personas, Canonum suffulti præsidio,  
se sacerdotes Domini erigere debuissent; ne man-  
suetudo indulgentiæ ad similia perpetranda impro-  
borum audaciam adhuc quotidie prouocaret: sed  
nunc tarde iniuriarum mole depresso, damnis quo-  
que dominicis compellentibus excitamur. Quod si  
is qui res Dei competit, in aliis, quam vbi res agi-  
tur, maxime solet territoriis commorari, sacerdo-  
tem loci ipsius vbi habitat, episcopus de huiusmo-  
di prauitate contemptus, neglecta persona, literis  
mox reddat instructum. Tunc antistes, ipsius fra-  
tris anxietate comperta, aut \*persuasorem admoni-  
tione corrigat, aut canonica districione condem-  
net.<sup>6</sup> Accidit etiam, vt temporibus discordiæ, <sup>\*per po-</sup>  
sub permissione bonaë memoriæ domni Chlodouei  
regis, res ecclesiarum aliqui competissent, ipsasque  
res, improuisa morte collapsi, propriis heredibus  
reliquissent. Placet & hos quoque, nisi res Dei, ad-  
moniti a pontifice, agnita veritate reddiderint, si-  
militer a sanctæ communionis participatione sus-  
pendi: quoniam res Dei, quæ auctores eorum ma-  
tura-

<sup>ANNO  
CHRISTI</sup> turata morte credendæ sunt peremisse, non debent  
537 filii vterius possidere. Iniquum esse censemus, vt  
potius custodes chartarum, per quas aliquid ec-  
clesiæ a fidelibus personis legitur derelictum, quam  
defensores rerum creditarum, vt præceptum est,  
iudicemur.

II.

Et quia episcoporum res propriæ ecclesiarum  
res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili  
fuerit crudelitate grassatum, peruersores rerum me-  
moratarum Canonum districione feriet vindicta,  
dum corrigit; vt qui non moribus propriis, ac nul-  
la conscientiæ castigatione corripitur, saltem regu-  
læ obtundatur aculeis. Perpetuo enim anathemate  
feriatur, qui res ecclesiæ confiscare, aut compete-  
re, aut peruadere periculosa infestatione præsum-  
pferit.

III.

Et quia exempla boni operis a pontificibus de-  
bent primum, Christo opitulante, procedere, nul-  
lus episcopus res competit alienas: aut si competi-  
tas, aut a se, aut ab auctore suo, forte quis possi-  
det, domino proprietatis possessionem propriam,  
absque præiudicio liberalitatis regiæ, integra refor-  
matione restituat: vt quia Deus dona reprobat ini-  
quorum, non ad iudicium suum ecclesiæ res ex-  
teras derelinquit.

IV.

Conuenit etiam vniuersis fratribus, vt non so-  
lum præsentium rerum actus, sed & animarum  
quoque debeant præparare remedia.<sup>d</sup> Nullus er-

Concil. Tom. 12.

Yyy

go illicita coniugia contra præceptum Domini for-  
tiri præsumat: id est, fratris relictam, nec nouer-  
cam suam, relictamque patrui, vel sororem vxoris  
suæ sibi audeat sociare: neque auunculi quoque re-  
lietæ, neque nurus suæ, vel materteræ coniugio  
potiatur. Pari etiam conditione a coniugio amitæ,  
priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præ-  
cipimus abstineri.

## V.

Sacratarum etiam virginum neque per raptum,  
neque per competitiones aliquas quisquam coniugia  
fortiatur. Similiter de earum erit coniunctioni-  
bus abstinendum, ( & hi qui eas rapere aut compe-  
tere voluerint, a communione sunt remouendi )  
quæ vestium commutatione tam viduæ, quam  
puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginita-  
tem publica fuerint declaratione professæ. Quod si  
contra interdicta quis venerit, & sacerdotem suum  
audire neglexerit, & in præsenti a communione  
catholicæ ecclesiæ habeatur extraneus, & in per-  
petuum anathemate feriatur.

## VI.

Et quia utilium rerum cœpit causa tractari, hoc  
vniuersitas præcauere quoque debet, tam sacer-  
dotes quam principes, omnisque populus, vt nul-  
lus res alienas competere a regis audeat potestate.  
36. qu. 2.  
Nullus ne-  
que viduā. Nullus viduam, neque filiam alterius, extra volunt-  
atem parentum, aut rapere præsumat, aut regis  
beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit,  
similiter ab ecclesiæ communione semotus, ana-  
thematis damnatione plectatur.

VII.

Et quia vniuersis sacerdotibus ita conuenit, vt si quis de eis a communione ecclesiæ, pro contemptu Canonum, aut peruatione rerum ecclesiasticarum, aliquem fortasse suspenderit, a nullo penitus episcopo recipi præsumatur. Quod si factum fuerit, is qui eum contra interdicta receperit, & a fratribus suorum erit concordia separatus, & æterni iudicis in futurum, vt confidimus, iracundiam sustinebit.

VIII.

Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit ut iuxta antiquam consuetudinem Canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate. non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra metropolis voluntatem, vel episcoporum comprouincialium, ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumperit, a comprouincialibus loci ipsius episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitে ordinatum agnoscunt. Si quis de comprouincialibus recipere contra interdicta præsumperit, sit a fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium caritate semotus. Nam de anteaëtis ordinationibus pontificum ita conuenit, vt coniuncti metropolitanus cum suis comprouincialibus episcopis, vel quos vicinos episcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta anti-

Iuo part. v.  
cap. 123.

D. LXXXIII. Si  
per ordina-  
tionem.

540 PELAGIVS CONCILIVM IVSTINIANVS IMP.  
P.I. CHILDEBERTVS R. FR.

qua statuta Canonum, omnia communi confi-  
lio & sententia decernantur.

ANNO  
CHRISTI  
557.

I X.

De degeneribus seruis, qui sepulcris defunctorum pro qualitate ipsius ministerii deputantur, hoc placuit obseruari, ut sub qua ab auctoribus fuerint conditione dimissi, siue heredibus, siue ecclesiis pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat obseruari. Quod si ecclesia eos de fisci functionibus in omni parte defenderit, ecclesiæ tam illi, quam posteri eorum, defensione in omnibus potiantur, & occursum impendant.

X.

Et quia huic definitioni cuncti fratum interesse minime potuerunt, hoc omnis congregatio sacerdotum Christo propitiante decreuit, ut constitutio præsens quantis oblata fuerit, subscripti-  
nibus eorum debeat roborari, quatenus in hoc quod vniuersis obseruandum est, vniuersitas debeat consentire.

\* SUBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Probianus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Bituricæ, consensi & subscripsi.

Prætextatus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Rotomagensis, consensi & subscripsi.

<sup>b</sup> Leontius in Christi nomine episcopus consensi & subscripsi.

<sup>i</sup> Germanus peccator episcopus consensi & subscripsi.

<sup>k</sup> Euphronius peccator episcopus consensi & subscripsi.

<sup>l</sup> Felix peccator episcopus consensi & subscripsi.

Domitianus peccator episcopus consensi & subscripsi.

Chardaricus peccator episcopus consensi & subscripsi.

Gonothigernus peccator episcopus ecclesiæ Siluanæctensis consensi & subscripsi.

<sup>m</sup> Paternus peccator episcopus consensi & subscripsi.

ANNO CHRISTI 557. Lasciuus peccator episcopus consensi & subscripsi.  
Chaletricus peccator episcopus ecclesiae Carnotensis consensi &  
subscripsi.  
Edibus peccator episcopus consensi & subscripsi.  
Samson peccator episcopus consensi & subscripsi.  
Ferrocinctus in Christi nomine episcopus consensi & subscripsi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> Circa annum Christi DLVII. ] Alii ad annum DLIX. referre malunt,  
quia Euphronium episcopum Turonensem, qui Synodo interfuit, non  
ante hunc annum cathedralm adeptum putant. in quo sane fallun-  
tur. Nam cum annus XII. Sigeberti regis, ut Concilii Parisiensis IV.  
epocha docebit, congruat anno Christi DLXXXIII. sequitur annum  
Euphronii septimum, qui cum secundo Sigebertia Gregorio Turo-  
nenfi comparatur libro i. de miraculis sancti Martini cap. 32. respon-  
dere anno Christi non DLXVI. ut illis visum, sed DLXIII. Euphro-  
nium proinde triennio, quam volunt, sedere prius coepisse, id est  
anno DLVI. Quare nihil obstat nomen Euphronii, quo minus anno  
DLVII. habitam Synodus dicere liceat, tametsi quo prorsus anno  
sit habita, non liquet.

<sup>2</sup> Itaque placuit. ] Pars Canonis huius aliquanto interdum castiga-  
tior legitur in capitularibus lib. 6. cap. 322. Placuit nobis, & ab  
omnibus obseruari conuenit. Codex Bellouac. & Pithœanus, ac omni-  
bus conuenit. In Concilio II. Turonensi, vbi Canon idem repetitur,  
Can. XXVI. ac omnibus modis conuenit.

<sup>3</sup> Pro captus animi. ] In capitular. pro remedio animæ sue.

<sup>4</sup> Quicunque ergo immemor. ] Rectius ibidem copulantur ista cum  
superioribus, tamquam connexa, & ab illis pendentia hoc modo:  
delectantur ardore: quicunque immemor &c.

<sup>5</sup> Neque quisquam per interregna. ] Ibidem, per regna.

<sup>6</sup> Accedit etiam ut temporibus. ] Quidam libri: Accedit etiam quod  
temporibus.

<sup>7</sup> Sub permissione. ] Codices nonnulli habent sine permissione: Pi-  
thœanus vero & Bellouacensis supra permissionem, ut vulgati.

<sup>8</sup> Subscriptiones. ] In his seriem episcoporum restituimus ex duobus  
manuscriptis: sed in his nomina ciuitatum, præterquam in primo,  
expressa non erant: in reliquis omissæ omnino subscriptiones.

<sup>9</sup> Paternus. ] Recte coniiciunt, qui hunc esse putant episcopum A-  
brincensem, a Childeberto rege, ut est in eius vita historia, designa-  
tum. At si huic Synodo interfuit Paternus Abrincensis, errare illos ne-  
cessere est, qui hunc eumdem faciunt cum Paterno Venetensi, quem  
ante annos fere centum floruisse docuit Concilium Veneticum.

NOTÆ SEVERI NI BINIII.

<sup>10</sup> Concilium. ] Causam habitu Concilii ipsi patres sua præfati uncula  
fatis manifeste indicant. Cum enim in Gallia inter Childebertū atque  
Causa Con-  
ciliī quāte.

Y y iij

Clotharium Francorum reges & fratres germanos, ob diuisionem bonorum Theodibaldi regis defuncti, ingens ciuile bellum (quod prolixo describit Agathias lib. 2.) anno Domini 556. tempore Pelagii primi exortum fuisse, eiusque occasione accidisset, vt non tantum in aduersantium bona, verum etiam in res ecclesiæ manus hostiles iniicerentur, atque iura & beneficia ecclesiæ a regibus obtinerent illi, qui ea ab episcopis impetrare non poterant: necessarium erat, vt Galliæ episcopi sacro conuentu indicto, auaritiam cum sacrilegio & ambitione coniunctam coerecerent. Interfuerunt episcopi quindecim, omnes fere sanctitate celeberrimi, vt infra annotabimus. Constituti fuerunt Canones nouem virtute pollentes, quibus regum eorumque ministrorum atque aliorum sibi nimium attribuentium temeritatem usurpatam represserunt: ex quibus non solum illi qui illis temporibus vixerunt, sed & nouatores nostritemporis exagitantur.

Episcopi quales interfuerint.

Cur tertiu nominetur.

<sup>a</sup> *Terrium.* ] Ita placuit nominate, propter illud Concilium, quod recenter huic editioni insertum est supra sub pontificatu Liberii papæ tom. 1.

Quo tempore habi- tum sit.

Aliorum sententia refellitur.

<sup>b</sup> *Ioannis papæ tertii.* ] Ex eo quod Euphronius Turonensis episcopus huic Concilio interfuerit & subscripsit, euidenter concluditur, hanc Synodus non sub Pelagii, sed Ioannis tertii pontificatu celebratam fuisse. Nam cum septimus Euphronii, & secundus Sigeberti regis Francorum, teste Gregorio lib. 1. miracul. sancti Mart. cap. 32. coincident; ipsius vero Sigeberti regnum anno Domini 565. inchoatum fuerit: necesse est fateri, quod Euphronius non ante annum Domini 559. Turonensis ecclesiæ episcopatum acceperit, & quod consequenter hoc Parisiense Concilium III I. cui prædictus Euphronius interfuit & subscripsit, non ante hunc annum Christi 559. (qui est primus Ioannis papæ tertii, & trigesimus tertius Iustiniani) celebratum fuerit. Errant igitur, qui ante biennium sub Pelagio hanc Synodus congregatam fuisse haec tenus asseruerunt. Quoto anno pontificatus Ioannis allegata Synodus præcise ac definite conuenierit, non satis liquide conitare potest.

Canon 4. Qua occa- sione hac constituta fuerint.

<sup>c</sup> *Nullus ergo illicita coniugia, &c.* ] Huic Canonii statuendo occasionem dedisse videtur Clotharius rex Francorum, qui sororem defunctorum coniugis vxorem duxerat, suoque exemplo gentem sibi subditam ad incestuosa coniugia incunda commouerat. Qua de re Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 9. hæc scribit. *Regnum eius (Theodibaldi nimirum) Clotharius rex accepit, copulans V uldotradam uxorem eius frato suo: sed increpatus a sacerdotibus reliquit eam, &c.* Refert idem Gregorius lib. 4. cap. 3. eumdem Clotharium duas sibi in matrimonium coniunxit sorores, ex quibus septem filias suscepit. Ut hi frutices mali, in Gallia exoriri cœpti, mature succiderentur, hac sacra falce opus erat.

Canon 6. Occasio hu- ius Cano- nis qua.

<sup>d</sup> *Nullus res alienas.* ] Cum his temporibus inter sanctos episcopos Gallicanos vigeret ecclesiastica disciplina, contigit ut praui homines a rege impetrare conarentur, quod ab episcopis scirent prohiberi.

**ANNO** Vnde etiam siebat, vt non tantum bona, verum etiam quam optarent sibi coniugem, fauore regis peterent. Ne igitur rex plus aequo sibi sumeret, temeritas illius hoc sacerdotali robore reprimenda erat. Quod dicitur; *Nullus viduam neque filiam alterius, extra voluntatem parentum, aut rapere presumat, &c.* intelliges eo modo, quo dixi supra tom. i. in notis ad epistolam Euaristi, vbi ad longum annotavi, qua ratione consensus parentum ad matrimonium requiratur.

<sup>357.</sup> *Nullus ciuibus inuitis ordinetur episcopus.*] Hæc patres constituerunt aduersus reges Galliæ, qui, vt infra dicam in Concilio Santonensi, contra Canones arrogabant sibi ius præficiendi episcopos ecclesiæ illis, quæ suis pastoribus destitutæ fuerant.

<sup>5</sup> *Prætextatus.*] Hic interfuit Concilio Aurelianensi quinto, Parisiensi tertio, & Turonensi secundo. In Matronensi recitauit orationes. In Concilio Parisiensi quarto, de quo infra sub Benedicto, a Chilperico accusatur furti, crimenque quod non fecerat, confessus, in carcerem, & deinde in exilium eiectus fuit. Tandem odio perfidae Fridericis, quam velut alteram Iezabælem reprehenderat, ab impio sicario accepit vulnus, ex quo vir sanctus constantissime defunctus, inter martyres referri promeruit. Plura de hoc infra in Concilio Parisiensi V. sub Pelagio II.

<sup>6</sup> *Leontius.*] Burdigalensis episcopus, de quo plura dicemus in Concilio Santonensi infra sequente.

<sup>7</sup> *Germanus.*] Episcopus Parisiensis, qui Eusebio post Saffaracum <sup>Germanus.</sup> episcopatu amotum, in sede Parisiensi succederat. Ipsum ex abbate monasterii S. Symphoriani, prophetiis præcedentibus, electum fuisse ideo, quod sanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione polleret, tradit Fortunatus Pictaviensis episcopus apud Surium die 28. Maii. Eundem eleganti carmine descripsit Venantius Fortunatus. Quantum sub codem episcopo Childebertus rex Francorum pietate emicuerit, testatur in primis ipsa basilica, quam in honorem sancti Vincentii extruxit: eiusdemque admirabiles eleemosynæ, quas hortatu sancti Germani rex munificentissime in pauperes erogauit. quæ de sancto Germano scribit Venantius Fortunatus lib. i. carm.

<sup>8</sup> *Euphronius.*] Turonensis ecclesiæ episcopus is est, ad quem extant <sup>Euphronius.</sup> duæ epistole Venantii, & Carmen quo eum mirifice laudat.

<sup>9</sup> *Felix, Domitianus, &c.*] Hæc sunt nomina illorum episcoporum, qui scripserunt epistolam ad sanctam Radegundem reginam deservanda institutione monastica, quam miro ardore animi suscepserat, & cum regiis aliisque nobilissimis virginibus Pictavi excolebat. Extat epistola infra inter Gregorii epist. lib. 9. cap. 39. Discant ex ea hæretici, ipsique ex monachis apostatae, virginis Deo dicatas non esse ex monasteriis abducendas.

<sup>10</sup> *Paternus.*] Abrigenensis episcopus sanctitate conspicuus extitit, <sup>Paternus quis.</sup> quem catholica ecclesia tabulis ecclesiasticis adscriptum annua memoria celebrat 16. April. Res ab eo præclare gestæ extant apud Sur. tom. 2. die 6. Aprilis. Extat ad eumdem Venantii Fortunati

Explicatur  
Canon.

Can. 8. Elec-  
tio episco-  
porum regi-  
bus interdi-  
cta.

Prætexta-  
tus quis.

epigramma lib. 3. carminum, his versibus comprehensum:

*Nominis auspicio fulgent tua facta, Paterne,*

*Munere qui proprio te facis esse patrem.*

*Seruitii nostri non immemor, omnia praestas,*

*Et tibi deuotis das pia vota libens.*

*Vt bene distribuas, modo qui tam promptus haberis,*

*Vnde magis praestes, amplifcentur opes.*

Chalætricu-  
sus.

<sup>a</sup> *Chalætricus.* ] Hunc Fortunatus lib. 4. carminum Chalætericum Carnotensis ciuitatis episcopum nominat, eiusque egregias virtutes cum sanctitate coniunctas insigni admodum & prolixiore epitaphio exornat.

<sup>b</sup> *Samson.* ] Minoris Britanniæ episcopus sanctissimus, cuius memoria perpetua in ecclesia recolitur vigesima octaua Iulii. Vide Baroniū anno 559. numero 18. & seqq.



VITA,  
EPISTOLÆ, ET DECRETA  
IOANNIS PAPÆ III.

*Ex libro pontificali.*

**I**OANNES natione Romanus de patre Anastasio illustri, <sup>A.D.  
Circa  
530.</sup> sedit annos duodecim, menses vndecim, dies vigintisex. Hic ampliavit & restauravit cœmeteria sanctorum martyrum. Hic constituit, vt oblationes & amulæ, vel luminaria in eadem cœmeteria per omnes dominicas de Lateranis ministrarentur. Hic perfecit ecclesiam sanctorum Philippi & Iacobi, & dedicauit eam.

Eodem tempore \* Eruli in Tursiam exierunt, & leuauerunt sibi regem Sindual, & premebant cunctam Italiā. At egressus Narses ad eum, interfecit regem, & omnem gentem Erulorum sibi subiugavit. <sup>f. He-  
ruli in  
Tulcian</sup> Deinde venit Amingus dux Francorum, & Bucellinus; & simili modo ipsi premebant Italiam. Sed auxiliante Domino & ipsa Nar- f. quis  
se interfeuerunt. Erat ergo tota Italia gaudens. <sup>d</sup> Tunc Romani inuidia ducti suggererunt Iustino & Sophia, <sup>magis</sup> \* quia expediret Romanos Gotthis seruire, quam Græcis, vbi Narses eunuchus imperat, & seruitio nos subiicit, & piissimus imperator hæc ignorat. Aut libera nos de manu eius & ciuitatem Romanam, aut certe gentibus deseruiemus. Quo auditō, Narses dixit: Si male feci Romanis, male